NOMINA.

C ΑΛΙΣΜΑ, ἡ Δαμασώνιον græcè: Aliſma, Damaſonium latinè nominatur. Sunt qui eam herbam eſſe putent, quam herbarij & uulgus nominant Barbam ſyluanam, & Plantaginē aquaticam: nōnulli uero eam, quam multi paſtoralem fiſtulam uocāt. Prior Germanis Waſſer wegrich/ & Froſchlöffel/quod ſcilicet in paluſtribus naſcatur, ubi frequentes ſunt ranæ. Altera uero iiſdem Hirtenpfeiff nominatur. Plantaginem autem aquaticā, ob natales & ſimilitudinem quæ illi cum uera Plantagine eſt, dixerunt: quemadmodū fiſtulam paſtoralem, quod ſingulari ſcapo rudis fiſtulę & longitudinē & effigiem quandam uideatur imitari. Quæ uero noſtra de iis ſit ſententia paulò pòſt indicabimus.

Plantago aquatica.

FORMA.

Aliſma folia Plantagini ſimilia habet, anguſtiora tamen & in terram reflexa, demiſſaq;. Caulis illi eſt tenuis, ſimplex, altitudine cubitum excedente, thyrſo ſimilis, capitula habens. Flores tenues, candidos & aliquatenus pallidos obtinet. Radices ut Ellebori nigri tenues, odoratas, acres, modiceq; pingues. Ex qua quidē deliniatione ſatis conſtat neutram herbarum quarum picturas damus, eſſe Aliſma. Nam herba quam hodie Plantaginem aquaticam uocant, non per omnia hiſtorię reſpondet. Vt enim alia præteream, radix eius neque odorata, neque acris eſt. Alterius autem, quam paſtoralem fiſtulam nominauimus, etſi radix odorata ſit, minimè tamē acris exiſtit. Quicquid tamen ſit, hac potius quàm altera pro Aliſmate utendum eſſe cenſeo. Eius effigiem ſuo loco dabimus.

LOCVS.

Aquoſa amat loca, in quibus paſſim naſcitur.

TEMPVS.

D In æſtate colligi poteſt, tum enim floribus abundat.

TEMPERAMENTVM.

Calidam eſſe hanc herbam ſatis monſtrant radices, quas acres eſſe conſtat. Abſterſoriam etiam quandam in ſe facultatem obtinent.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix unius aut alterius drachmæ pondere cum uino pota, his qui leporem marinum deuorarunt, prodeſt, & quos rubeta rana momorderit, quiq; opium hauſerunt. Torminibus & dyſenteriæ per ſe, aut cum Dauco pari pondere pota confert. Conuulſis itidem & uteri ſtrangulationibus. Herba ſiſtit aluum, menſes ducit, & œdemata illita lenit.

EX GALENO.

Damaſonium aut Aliſma. De hac herba in tertio libro tradit Dioſcorides, quod radix eius epota dyſenterias ſanet, & aluum ſiſtat, atq; œdemata mitiget. Nos uero ea experti non ſumus. Quod autem cōſtitutos in renibus calculos aqua in qua decocta fuerit pota cōminuat, caſu experti ſumus. Ex quo liquet, quod abſterſoriam quandam facultatem obtinet.

EX PLINIO.

Vſus in radice aduerſus ranas & lepores marinos. Lepori marino aduerſatur in uino potum. Strumis imponitur ex aqua cœleſti folium tritum, uel radix cum axungio tuſa, ita ut impoſita folio ſuo operiatur. Sic & ad omnes ceruicis dolores, tumoresq;, quacunq; in parte.

DE ARTE-

ARTEMISIA
LATIFOLIA.